



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Lvdovici De Ponte, Societatis Iesv, Meditationvm De Praecipvis Fidei Nostrae Mysteriis

Vitae Ac Passionis D. N. Iesv Christi; B.V. Mariae, & aliquorum Sanctorum
Qvae Historiam Complectitur vniuersæ Paßionis Dominicæ

Puente, Luis de la

Coloniae, 1614

Med. 5. De Cœna in Bethania.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54653](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54653)

sicut Apostoli in ingressu Hierusalem, ad eum
honorifico, & in recessu ad eum ignominioso;
eius seruiens *per infamiam & bonam famam* f2 Cor. 6.8.
ut te iple in aeterna sua gloria recipiat. Amen.

MEDITATIO V.

DE COENA QVA CHRISTVS
Dominus exceptus est in
Bethania.



QUAMVIS hac coena facta
fuerit ante sex dies Pascha
agni, & pridie quam Chri-
stus Dominus ciuitatem Hie-
rusalem ingrederetur cum
ramis palmarum, ut refert
S. Iohannes, sed quia S. Matthaeus & Marcus
eandem referunt post illum ingressum in Hie-
rusalem propter occasionem, quam ex coena il-
la Iudas accepit ad ipsum Christum traden-
dum; eadem de causa, eundem ego ordinem
sequar.

PUNCTVM I.

CVM esset a IESVS in Bethania, fecerunt a Ioan. 12.1.
illi coenam; & cum recumberet, venit mu-
lier Maria soror Lazari, habens alabastrum
unguenti, nardi pistici pretiosi; & unxit pedes
Iesu,

b Marc. 14. 3. Iesu, & exersit pedes eius capillis suis, b & fracto alabaastro, residuum effudit super caput eius, & domus impleta est ex odore vnguenti.

I.

3. Part. Meditat. 25.

PRIMUM est considerandum, Mariam Magdalenam bis vnxisse Christum Dominum nostrum; primam in initio loq̄ conuersionis, vt peccatorum remissionem obtineret, vt s. o loco declaratum est; deinde in hac coena, vt gratitudinem suam ostenderet, ob resuscitatum à Christo fratrem suum Lazarum; cuius gratitudinis hoc dedit indicium, dum se ipsam ad eius pedes proiecit, & lauit lacrymis (vt par est credere) amoris sicut cum primum illos lauerat, ac tersit optimo linteo, quod apud se habebat, propriis scilicet capillis, quos etiam pretiosissimo vnxit vnguento, nouoque fiducia spiritu excitata, ausa est alabaastro fracto, quod reliquum erat vnguenti, super eius caput effundere; vt cum integræ libræ esset vnguentum, nihil omnino superesset, quod non in Christi aut pedes, aut caput esset defutura. O quam attentè, placidoque vultu, respexerit Christus Dominus, hoc seruæ illius suæ opus & obsequium; multo quoque magis internum eius affectum ac deuotionem, qua illud præstabat, approbauerit, optans, multos esse in Ecclesia, qui illam in eo imitarentur! Quare ad vtriusque huius vnctionis spiritum imitandum, conabor quo potero seruentissimo affectu, Deo reddere vtrumque debitum, quo teneor obstrictus: alterum ob mea peccata; alterum ob eius in me beneficia: & quidem hoc secundum,

dum, maiori feruore & gratitudinis spiritu, in
 ipsis operibus, aperta eius indicia præbendo,
 oſe: es, optima & pretioſiſſima quæ habuero.

PRÆCIPVE verò offeram alabaſtrum
 magnum, ſpiritali vnguento plenum, ad ip-
 ſum vngendum. Alabaſtrum ipſum cor meum
 eſt, & corpus meum, quod frangere oportet
 exercitiis mortificationis & penitentia, con-
 tritione & dolore de peccatis, frangendo vo-
 luntatem & inordinatas meas appetitiones.
 Vnctio fieri debet vnguento fideli & puro ſpi-
 ritu, plurimis videlicet affectibus, & ex-
 cellentiſſimis operibus humilitatis, & chari-
 tatis, cum fidelitate & puritate intentionis in
 eis, vt mea *charitas ſit* (iuxta ſententiã Apo-
 ſtoli) *de corde puro, conſcientia bona, & fide
 non ficta.* Hoc vnguento vngere debeo ſpirita-
 liter Chriſtum, primum in pedibus, deinde
 in capite; quia primum oportet meditari abie-
 ctiones & ignominias humanitatis eius, quam
 pedes ſignificant, ſtudento eas imitari & am-
 plecti, ſuſceptis poenitentia & mortificatio-
 nis operibus; deinde ascendendum eſt ad me-
 ditandas excellentias eius diuinitatis, quam
 ſignificat ipſum caput; de vtriſque gaudendo,
 & gratias pro beneficiis, ab vtriſq; ad nos pro-
 uenientibus agendo. O dulciſſime I E S V,
 Deus vere, & homo vere, quãdoquidem quic-
 quid boni in fragili hoc meo alabaſtro habeo,
 à te accepi; id totum tibi offero, quamuis in
 tuo obſequio frangatur, quando id opus erit.

II.

S. Bernard.
 ſerm. 42. in
 Cant.

1. Tim. 1. 5.

DENTQVE perpendam, ſicut tota domus

III.

imp'eta

impleta est odore vnguenti, quod S. Maria Magdalena effudit, ita Ecclesiam vniuersam & religiosam quamlibet domum, gloriosis huiusmodi virtutis exercitiis ædificari, & confortari. quare par est, me ipsum ad ea præstanda excitare; vt esse possim (sicut ait Apostolus) bonus odor Christi in omni loco; meoque exemplo conari, vt alij, quibuscum versor, ad idem præstandum excitentur.

PUNCTVM II.

a Ioan. 12. 4.

VIDENS ergo a vnus ex discipulis eius Iudas Iscariotes. quare, ait, hoc vnguentum non vngit trecentis denarijs, & datum est egenis? dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat & loculos habens, ea, quæ mittebantur, portabat; & quidam alij ex discipulis erant etiam indigni ferentes intra semetipsos, & dicentes, vt quæ perditio ista vnguenti facta est, & fremebant in eam.

b Marc. 14.

4.

I. CONSIDERANDVM hic primò, nunquam defuturos, qui temerè iudicantes, de bonis iustorum operibus murmurèt, alij quidem intentione peruersa, sicut hic Iudas; alij ignorantia aut zelo bono, licet indiscreto; sicut discipuli, qui de hoc Magdalene opere murmurarunt, iudicantes illà esse prodigam, quæ vnguentum adedò pretiosum proiiceret in re ipsi Christo ingrata, qualis erat recreatio illa, quæ ex vntione proueniebat; & indiscretà vt quæ

valore

valore vnguenti multis pauperibus potuisset opem ferre; quæ murmuratio tacite etiam in ipsum magistrum, qui iacturam illam vnguenti permisisset, redundabat. Veruntamen omnes illi in suo iudicio errabant, non scientes spiritum æstimare, quo hæc mulier ad præstandum illud opus mouebatur; nec illud, quo Christus idem acceptabat, ipsiq; exigua sua deuotione & rudi operis apprehensione, cõdemnabant, & contra eam indignabatur & murmurabant. Discam ex hoc, nunquam temerè de aliquo iudicare, nec in deteriorem partem, quæ bona esse possunt opera, interpretari, multoq; minus de eisdem murmurare; sed de his omnibus iudicium Deo relinquere, qui rectus est omnium iudex; alioquin facile errare, & contra proximos, & ipsum spiritum sanctum, qui ad huiusmodi opera illos instigat, peccare cõtinget; quam iniuriam ipse sciet vlcisci. Quãobrem ipse Christus Dominus iussit, *nolite iudicare, & non iudicabimini, nolite cõdemnare, & non condemnabimini.* Neque excusabit me species apparens pietatis, qua iudicia mea temeraria, & murmuraciones contego; sæpè enim huiusmodi pallio, pessimæ intentiones operiuntur, sicut Iudas affectum furandi pecuniam, quæ ex vnguento vendito prouenisset, cooperuit pallio eleemosynæ, quæ in pauperes distribui potuisset.

c Luc. 6. 37.

PERPENDERE etiam licet, facile credi posse, hæc murmuracionem, à Iuda ipso initiũ sumpsisse, ipsumq; malo suo exemplo, reliquos

II.

con-

condiscipulos, ad murmurandum induxisset; ut hinc intelligamus, quantum noceat malum exemplum, & vnus peruersus, quot bonos post se tractos peruertat. Nam vt illa domus Bethanix impleta est odore bono vnguenti, & operis bonis, quod Maria perfecit; ita eadem fuit repleta fetore, qui ex pestilente Iudæ ore exhalauit, & reliquos discipulos turbans, vicio murmuracionis infecit.

PUNCTVM III.

a Matt. 26.
10.

SCiens 2 autem IESVS, ait illis, quid molesti estis haic mulieri; opus enim bonum operata est in me. Nam semper pauperes habebitis vobiscum, me autem non semper habebitis. Mittens enim hoc vnguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit. Amen dico vobis, vbicumque pradicatum fuerit hoc Euangelium in toto mundo, dicetur, & quod hac fecit in memoriam eius.

I.
Luc. 7. 44.
10. 42.

PERPENDENDAE hic sunt heroicae virtutes, quas hac occasione Christus manifestauit: PRIMA fuit magna fidelitas in defendenda famula sua Magdalena, tacente illa, sicut iam bis alias fecerat: familiare enim est ipsi Domino, honorẽ tueri illorũ, qui ipsius causa murmuraciones sustinent, nõ adhibentes excusationem, nec seipfos defendẽtes, propter humilitatem; diuinæ se potius prouidentiae committentes: quare insignis est prudentiae, in huiusmodi casibus patienter tacere; nouerit enim

enim ac poterit Deus melius me excusare, & honorem meum tueri, quam sciam ipse, vel possim, sicut hic fecit Christus, Magdalenam multò melius defendendo, quàm sciisset ipsa: si enim ipsa se voluisset excusare; aut scopum non attigisset, aut voti compos non euassisset.

II.

SECUNDA virtus fuit magna benignitas & blandities, in discipulis & ipso Iuda corrigendis: etsi enim totam suã scholam turbatam vidit, ipse tamen nec turbatus nec indignatus est; sed mansuete à deceptione, qua laborabãt, deduxit; falsasque eorum apprehensiones dissoluit, opus illud approbans, diuinoque instructu illud tribuens, quo hæc mulier inducãta fuit, ad corpus ipsius viuum, eo vnguento vngendum, quo mortuum vngere non posset. Quod re ipsa ita euenit: nam, cum illa post mortem, eius corpus ad vngendum qua siuisset, iam ille resurrexerat. O Magister sapientissime, doce me a *in spiritu lenitatis alios instruere*, ut mansuetudine potius curem, quàm destruatam indignatione.

a Gal. 6.1.

III.

TERTIA virtus fuit insignis charitas & liberalitas, cum magnis prudentiæ iudiciis, quã adhibet in conuertendis rebus omnibus, quæ ipsi amantibus eueniunt, in maius eorum commodum, iuxta illud Apostoli, *b scimus b Rom. 8. 28. quoniam diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum*: nam, si contra Magdalenam non fuisset murmuratũ; nec opus hoc ita promulgatum fuisset; nec ipsa tanto honore affecta.

IV. Part. Medit.

G

Neque

Neque benignissimus noster Saluator permitteret, contra iustos murmuraciones, nisi posset, ac vellet, maiora ex eis bona illis adferre; & ob eam causam promisit fore, vt in toto mundo, vbicunque hoc Euangelium prædicaretur, diceretur, hoc eam opus fecisse, vt hac ratione honor illi accederet, quæ ipsum honorasset: quod ita te ipsa impleuit: omnes enim Christiani credimus, opus illud fuisse laudatum, & inspiratione diuina perfectum; ideoque eam laudamus, quòd illud effecerit. Et ego redemptor mi, vt promissionem tuam, quod in me est, expleam, gaudeo de huius ancillæ tuæ deuotione, gratiasque illi ego propter obsequium, & honorem tibi præstitum; sed multo amplius tuam liberalitatem laudo, qua modicum nostrum obsequium tibi exhibitum, & paululum, quod pro te sustinemus, tam liberaliter remuneres, siquidem cum quatuor vel sex tantum de hoc opere murmurarint, tu vis vt millia millium hominum illud ipsum opus magnificent. Noli, ô anima mea, alteri Domino nisi Christo seruire, qui se ad eum liberalem exhibet in afficiendis honore ijs, qui ipsi honorem exhibent; & in remunerandis, qui ipsi obsequuntur.

